



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XVI. Gotsmannus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

berto illo mirabili, quem in vita plurimum coluit, accuratissime sepultus est. In tantum vero fratres de obitu tam benignissimi patris doluisse feruntur, ut ad tumulum eius per vices usque ad tricesimum diem pernoctanter vigilarent, & nimio amore persuasi pro sancto eum ferme haberent. Cuius sepulchro tale appositum est Epitaphium ab egregio illo versificatore *VVillerammo Abbate, consanguineo scilicet suo compositum.*

Ecce Dei seruus Prasul iaceo hic Heribertus.

Et reliq.

Hæc Anonymus. Cùm quibus non satis consentiant, quæ Hundius in Metropoli ex Bruschio tradit, nempe Engelbertum, Episcopum Frisingensem, mortuum esse anno Redemptoris M. XXXIX. si hoc ita est, quomodo post triennium, id est, anno M. XLII. Heribertus Frisingæ mortem obiit, iusta funebria Engelberto seu Egilberto persolvente? Minus adhuc cum vero concinit, quod scribit Andreas Ratisbonensis in Chronico, *Heribertum, Episcopum Eystettensem, consecrasset Ecclesiam inferioris Althaha cum Episcopis Passaviensi & Parentino.* nam cùm, ut ipsemet Andreas scribit, Ecclesia ista flammis perierit anno Redemptoris M. III. quarto Nonas Martij, & quinto post incendium, hoc est, anno M. VIII. reparata & dedicata fuerit; fieri non potuit, ut Heribertus dedicationi interesset; cùm Episcopalem Insulam anno demum M. XXII. obtinuerit.

XVI. Gozimannus seu Gotsmannus?

Gozimannus paucis prasul fuit inde diebus.

Lambertus Schaffaaburgensis in Chronico, *Anno M. XLII. Heribertus Aichstattenfis Episcopus obiit, cui fra-*

Kk 2 ter

ter eius Gezman successit. Sedit Gozmannus menses duos & paulò plus, ut inquit Gúdackarus. Vitæ finem imposuit XVII. die Octobris. Latinis est *vir Dei*; Græcis, Theander; de quo Anonymus isthæc. *Licet breui tempore præfuerit, non tamē nihil memorabile in diebus suis egit, adiuncto namq; Brunone VVirzeburgensi Episcopo sanctæ VValpurgæ Monasterium, in festo S. Burckhardi, ut & ipsum hic celebrem faceret, dedicauit, & deinde post tres dies defunctus, à præfato VVirzeburgensi Episcopo iuxta fratrem suum honorificè sepultus est.*

XVII. Gebhardus.

Et post hunc Gebhard, Romam, qui deinde regebat. Sedit in Episcopatu annos XIII. In summo Pontificatu annos duos cum tribus mensibus, Victorisq; II. nomen accepit. Vitam cum morte commutauit anno Virginei partus M. LVII. XXVIII. die Iulij, natus Comes de Tollnstein & Hirsperg, ut est in Gundackaro. Bruschius ait fuisse Comitem de Calouia, seu Kalavv, hodie Kalb, quod est oppidum cum veteri arce horum Comitum sede in Ducatu Wirtenbergensi ad Nagoldum fluuium, teste Bruschio in prima Monasteriorum Germanicorum Centuria, vbi agit de Alba Augia Norici, Monasterio Benedictino, quod ab hoc Gebhardo conditum fertur. Interfuit Gebhardus Comitibus Norimbergensibus, & aliis Ratisbonensibus, vbi Leone IX. Pontifice præsentē & præsidente, disceptatum est de corpore S. Dionysij Areopagite, vbinam requiescat; num Parisiis, an Ratisbonæ? Videndus Auentinus lib. 5.

De eius electione, & ad cathedram S. Petri electione hæc Leo Ostiensis lib. 2. Chronici Cassinensis cap.